

autem præcipua sunt futura et præsentia multo magis, quam futura nos movere solent. Tertio, quia sensuum objecta vicina sunt, et perfecte cognoscuntur, rationis vero longe remota et abdita, nec nisi tenuiter penetrantur. Quarto, quia diabolus maximam habet potentiam et artem nocendi, concupiscentiam excitando atque inflammando. Hinc enim fit, ut ratio, si suis solis viribus nitatur, concupiscentiæ, et per se vehementi, et a diabolo inflammatae, resistere nullo modo possit. Quare quod in Genesi dicitur: *Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius*, verum est quidem, sed ideo potissimum est verum, quoniam (ut supra diximus) Deus non sinit nos tentari supra id, quod possumus.

Tertio, objici solet a quibusdam testimonium sancti Thomæ qui in 1. 2. quæst. 10. art. 3. scribit, voluntatem non posse necessitari a passione, nisi passio absorbeat penitus iudicium rationis. Quod si passio quantumlibet vehemens, numquam necessitat voluntatem, dum manet liberum rationis iudicium, certe sequitur, ut possit ei resisti viribus voluntatis etiam solis.

Respondeo: significat sanctus Thomas a passione non necessitari voluntatem necessitate physica, quasi voluntas determinetur ad unum, quomodo determinatur appetitus animalium brutorum; tamen non negat necessitari moraliter, id est, infallibiliter moveri, quomodo eloquentissimus orator, qui persuadendo ducit homines quocumque voluerit, non eos necessitat physice, sed moraliter. Eligunt enim illi id facere, quod orator eis persuadet, sed impulsu efficacia persuasionis, cui resistere moraliter non valent.

Præterea non negat S. Thomas, etiam nostram voluntatem divino auxilio indigere, ut a passione non necessitetur: sed solum dicit, eam, si ratio absorbeatur, omnino necessitari; si vero ratio non absorbeatur, non necessitari; quod verum est, quia divino auxilio munita potest non consentire passioni, cujus auxilii non est capax, quando rationis iudicium penitus est ligatum.

CAPUT IX.

Posse hominem sine fide, cum auxilio speciali, et etiam sine illo, bonum aliquod morale perficere, si nulla tentatio urgeat

Tertia propositio, quæ docet, posse hominem sine fide, cum auxilio speciali, et etiam sine illo, bonum aliquod morale perficere; si nulla tentatio urgeat; breviter explicanda est, antequam probetur.

Sciendum estigitur non esse omnino idem, facere bonum morale, et observare præceptum secundum substantiam operis. Potest enim servari præceptum secundum substantiam operis, etiam cum peccato, ut si quis amico restituat depositum, ut illo ipse a furibus spoliatur. At bonum morale non potest cum peccato fieri: proinde majus quiddam est, facere bonum morale, quam servare præceptum; et ideo in nostra propositione non tam præcepti, quam boni moralis mentionem fecimus.

Sciendum secundo, adversarios, ac præsertim Kemnitium, et alios hujus temporis sectarios, qui docent, Pelagianam hæresim esse, negare omnia infidelium opera esse peccata, id affirmare de illis etiam operibus quæ fiunt ab infidelibus cum auxilio Dei speciali: ac propterea nos id potissimum probare velle, non esse videlicet peccata omnia opera, quæ fiunt sine fide, præsertim sit fiant cum auxilio Dei speciali. Id enim certissimum esse minime dubitamus. Interim tamen illud etiam probare volumus, posse fieri aliquod opus bonum moraliter, non solum sine fide, sed etiam sine auxilio speciali, si nulla tentatio urgeat. Nam urgente tentatione jam ostendimus, nihil boni solis naturæ viribus fieri posse. Itaque testimonia adferemus, quæ probent, aliqua bona opera ab infidelibus posse fieri, sive cum auxilio speciali, sive etiam solis naturæ viribus.

Primum igitur testimonium sumitur ex illis Scripturis, quæ testantur, Deum remunerari bona quædam opera Gentilium; non enim Deus, qui justissimus est, et justitiam diligit, quique sapientissimus est, et falli nullo modo potest, opera mala remuneraret, cum justo iudicio supplicium mercantur, non præ-

mium. Unus locus est Exod. 1. *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit illis domos*. Sensus est, quia Ægyptiæ obstetrices non paruerunt injusto imperio Pharaonis, qui jusserat occidi omnes infantes masculos Hebræorum, existimantes id esse, ut revera erat, contra Dei voluntatem, ideo Deus pro hac misericordia, quam exercuerunt in filios Hebræorum, dedit eis pro mercede copiosam et felicem prolem, atque ita domos illis ædificavit, et stabilivit.

Alius locus est Ezechielis, cap. 29. Fili hominis, Nabuchodonosor Rex Babylonis, servire fecit exercitum suum, servitute magna, adversus Tyrum. Omne caput decalvatum, et omnis humerus depilatus est: et merces non est reddita ei, neque exercitui ejus, de Tyro pro servitute, qua servivit mihi adversus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce dedi Nabuchodonosor Regem Babylonis in terram Ægypti, et accipiet multitudinem ejus, et deprædabitur manubias ejus, et diripiet spolia ejus, et erit merces exercitui illius. Exercitus iste sine dubio infidelis erat, et tamen quia fideliter regi suo servivit in bello justo contra Tyrum, quam urbem ob sua peccata Deus everti volebat, ideo mercedem illi reddidit, donans ei, mirabili providentia, spolia Ægypti, quæ propter scelera quoque sua spoliari meruerat. Itaque sanctus Hieronymus in comment. sic ait: « Ex eo quod Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei iudicio præteriri ».

Alius item locus est Danielis IV. ubi cum Daniel prædixisset regi Nabuchodonosor gravem pœnam temporalem a Deo propter peccata sua, hortatur illum ad eleemosynas, quibus redimat, sive avertat pœnam illam temporalem: *Nunc, inquit, Rex consilium meum pleceat tibi, peccata tua eleemosynis redime, etc.* (2) Quod si eleemosynæ hominis infidelis avertere poterant pœnam temporalem, certe bona opera erant, non peccata; non enim peccata iram Dei mitigant, sed magis accendant.

Secundo, probatur ex aliis Scripturis, quæ indicant, infideles facere, aut posse facere aliqua bona opera. Matth. V. *Si salvaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis, nonne et Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, etc.* (3). Quo loco tribuitur Ethnicis

bonum opus, ostendendi signa benevolentiae erga suos; nisi enim hoc bonum esset, non diceret Dominus, quid amplius facitis? sed, cur hoc facitis? Vult igitur suos Dominus, non contraria, sed majora facere. Ad Roman II. *Cum gentes, quæ legem non habent; naturaliter quæ legis sunt faciunt, etc.* Hic Apostolus aperte docet, Gentiles naturali lumine implere aliqua legis mandata. Quod autem ita impleant, ut non peccent, docet Chrysostomus in comment. cum ait, eos implere omnia, quæ legis sunt, id est, ut supra diximus, mandatum cum omnibus circumstantiis observare.

Accedant deinde testimonia Patrum. Sanctus Basilius homil. 9. de opere sex dierum; « Sunt, inquit, et apud nos virtutes secundum naturam, ad quas familiaritas ipsi animæ non ex doctrina hominum, sed ex ipsa natura inest. Quemadmodum enim nulla disciplina nos docet morbum odisse, sed spontaneam habemus calumniam, ac detestationem adversus ea quæ nobis molesta sunt: sic etiam est animæ quædam declinatio, et fuga vitii citra doctrinam ». Quo loco sanctus Basilius aperissime docet, quasdam virtutes esse naturales, ut misericordiam et similes, ac per hoc non esse semper necessariam vel fidem divinam, vel auxilium speciale, cum ad ejusmodi naturaliter inclinamur.

Sanctus Joannes Chrysostomus homil. 67. ad populum Antiochenum: « Non potest, inquit, malus omnino malus esse, sed evenit, ut aliquid habeat boni: neque bonus esse omnino bonus, sed nonnulla solet habere peccata. Cum itaque malus prosperis utitur rebus, ad capitis sui perniciem utitur, ut enim illorum paucorum bonorum retributionem hic capiens, illic deinde puniatur, hac de causa recipit ». Loquitur Chrysostomus de omnibus malis, etiam infidelibus; generatim enim dicit, nullum esse malum, qui non habeat aliquid boni, et loquitur de opere bono, non ex genere tantum, sed simpliciter, quia opponit illud peccato, et mercedem illi debitam assignat. Non enim merces debetur operi, præsertim apud Deum, quod sit ex genere bonum, sed absolute peccatum.

Auctor operis imperfecti, homil. 26. in Matth. « Audi, inquit, mysterium, quod Petrus apud Clementem exposuit, si fidelis fecerit opus bonum, et hic ei prodest, liberans eum a malis, et illic ad percipiendum regnum

(1) Exod. I, 17. — (2) Dan. IV, 4. — (3) Matth. V, 47.

coeleste, magis autem ibi, quam hic. Si autem infidelis fecerit opus bonum, hic ei prodest opus ipsius, et hic ei reddit Deus bona pro opere suo, in illo autem sæculo nihil ei prodest. Nec enim collocatur inter cæteros fideles, propter opus suum, et juste: Quia naturali bono motus fecit bonum, non propter Deum».

Sanctus Hieronymus in cap. i. epist. ad Galat. « Ex quo, inquit, perspicuum fit, natura omnibus inesse Dei notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, et non habere semina in se sapientiae et justitiae, reliquarumque virtutum. Unde multi absque fide et Evangelio Christi, vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, non aliena diripiant ». Hoc loco sanctus Hieronymus non solum concedit, sine fide aliqua opera sancta, fieri, sed etiam sancte. Nullo autem modo sancte fieri dici potest, quod cum peccato fit. Idem in cap. v. ad Galat. « Quomodo, inquit, juxta Jacobum fides absque operibus mortua est; sic absque fide, quamvis bona opera sint, mortua computantur ». Fides sine operibus non est falsa, sed vera, tametsi mortua dicatur, quia non operatur salutem æternam: igitur et opera bona sine fide non sunt mala, sed vere bona, mortua tamen, quia nihil prosunt ad veram vitam, quæ est in cælis, comparandam.

Sanctus Augustinus docet, quædam bona opera fieri sine fide, sed cum auxilio speciali Dei; et rursus alia sine auxilio speciali, solis naturæ viribus. De primi generis operibus habemus testimonium in epistol. 130. ubi laudat continentiam Polemonis: Quoniam, inquit, donum Dei est ». Et addit: « Quod si ille hoc donum cognovisset, fuisset non solum continens, sed etiam religiosus et pius, et continentiam habuisset, non solum ad honestatem præsentis vitæ, sed etiam ad meritum æternæ ». et in lib. iv. contra Julianum, cap. 3. loquens de virtutibus infidelium: « Quanto, inquit, tolerabilius illas, quas dicis in impiis esse virtutes, divino muneri potius, quam eorum tribueris tantummodo voluntati, licet ipsi hoc nesciant? » Denique libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 7. et lib. i. de Baptismo, cap. 3. et lib. iv. cap. 23. eleemosynas Cornelii, antequam in Christum crederet, et justitiam appellat, et donum Dei esse dicit. At certe impium est, dona Dei inter peccata deputare.

De secundi generis operibus habemus testimonium in lib. de perfectione justitiae, re-

spon. proxima postremæ, ubi cum Celestinus probare volens, non esse necessariam Dei gratiam ad bona opera liberi arbitrii, objecisset illud Apostoli i. ad Corinth. vii. « Quod vult faciat, non peccat, si nubat, respondit Augustinus: Videte, obsecro, quale sit, volenti et currenti misericordiam Dei non necessariam dicere, quia de quodam ait Apostolus, quod vult faciat, non peccat, si nubat. Quasi pro magno habendum sit, velle nubere, ubi de adjutorio divinæ misericordiæ operosius disputatur ». Itaque concedit Augustinus, in hujusmodi operibus humanis, quæ ad salutem non pertinent, auxilium gratiæ non semper requiri: Et tamen hæc opera bona sunt, cum peccata non sint, Apostolo teste, qui ait, *Non peccat si nubat*.

Aliud testimonium est in libro de spiritu et littera, cap. 27. qui locus paulo fusius recitandus est: « Si autem, inquit, hi, qui naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos Christi justificat gratia, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, pieque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus: Quamquam si discutatur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem, defensionemve mereantur ».

Ubi notandum est illud, vix, vere enim magna pars operum infidelium ob finem pravum, ad quem referuntur peccata, simpliciter sunt: quædam tamen, tametsi pauca, inveniuntur, quæ nullo malo sine vitiantur, et ea non peccata, sed opera bona simpliciter dici debent. Itaque idem Augustinus continuo ita subjungit: « Verumtamen quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint. Unde linea merito dici possint, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere, etc ». Quorum verborum hic esse videtur sensus, si quæramus opera bona infidelium, quæ propter malum finem facta non sint, ac per hoc simpliciter, bona sint, vix invenire poterimus: tamen ejusmodi aliqua esse, inde colligi potest, quod imago Dei in anima humana per peccatum non omnino sublata est. Quare paulo post hæc adjungit: « Sicut enim non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita

non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua opera, sine quibus difficillime vita ejus libet pessimi hominis invenitur ». In quibus verbis ipsa antithesis satis aperte testatur, opera bona impiorum, quæ non prosunt ad vitam æternam, non posse dici peccata, sicut peccata venialia justorum, quæ non impediunt a vita, bona opera dei non possunt.

His adde quod idem Augustinus in lib. v. de civit. Dei, cap. 15. dicit, Deum dedisse Romanis tam amplum imperium, ut remuneraret in hac vita bonas eorum virtutes, sive autem illæ virtutes, cum Dei speciali gratia conjunctæ fuerint, sive non, certe infidelibus erant, et virtutes, non vitia erant, nisi Deum remuneratorem vitiorum (quod est absurdissimum) faciamus.

Adde etiam ultimo, quod idem auctor in omnibus fere locis, ubi scribit, nihil fieri posse boni, sine auxilio gratiæ, addere solet limitationem, si videlicet bona illa opera, ad pietatem et salutem pertineant. Ut nimirum significaret, ad opera bona, quæ ad pietatem et salutem non pertinent, aut gratiæ auxilium non requiri, aut certe sine præjudicio fidei de hac re disputari posse. Libro de gratia Christi, cap. 26. « Gratiam Dei, inquit, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni sine illa, quod ad pietatem pertinet, veramque justitiam, fieri posse non dubitet ». Item libro de gratia et libero arbitrio, cap. 17. « Sine illo operante, ut velimus, et cooperante, cum volumus, ad bona pietatis operam nihil valemus ». Idem habet in libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 2. et alibi frequentissime.

Auctor Hypognotici, lib. iii. non procul ab initio: « Esse fatemur, inquit, liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem judicium rationis, non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent, sine Deo aut inchoare, aut certe perficere; sed tantum in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quam etiam malis. Bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle manducare et bibere, velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, velle uxorem ducere, pecora nutrire, artem discere diversarum rerum bonarum, velle quicquid boni ad præsentem vitam pertinet. » Hæc ille.

Neque satisfacit Ariminensis, respondens, hæc non esse bona moralia, sed naturalia. Nam auctor hujus libri hæc bona opponit

malis, cum dicit, liberum arbitrium posse sine Dei gratia velle tam bona, quam mala, quæ ad vitam præsentem pertinent, et certo non loquitur de malis naturalibus. Nemo enim eligit illa mala, sed de moralibus, quæ sunt proprie voluntaria. Quod etiam patet ex exemplo, quod idem auctor ponit, nimirum colere idolum, et similia. Loquitur igitur de bonis moralibus, qualia sunt illa omnia enumerata, si debitis circumstantiis vestiantur.

Sanctus Prosper in libro contra Collatorum, cap. 26. « Naturæ, inquit, humanæ, cujus creator est Deus, etiam post prævaricationem manet substantia, manet forma, manet vita, et sensus et ratio, cæteraque corporis, atque animi bona, quæ etiam malis, vitiosisque non desunt. Sed non in illis veri boni perceptio est, quæ mortalem vitam honestare possunt, æternam conferre non possunt ». Nota illud « honestare », non enim peccata, sed solæ virtutes vitam nostram honestate possunt.

Sanctus Fulgentius in libro de incarnatione et gratia Christi, cap. 26. « Quod si, inquit, quibusdam cognoscentibus Deum, nec sicut Deum glorificantibus, cognitio illa nihil profuit ad salutem: quomodo potuerunt hi justi esse apud Deum, qui sic in suis moribus atque operibus bonitatis aliquid servant, ut hoc ad finem Christianæ fidei, charitatisque non referant? quibus aliqua quidem bona, quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, inesse possunt, sed quia non charitate Dei fiunt, prodesse non possunt ».

Sanctus Gregorius homil. 27. in Evangelia, tractans illud: « Hoc est præceptum meum. Sunt, inquit, nonnulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis et carnis. Quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt. Sed aliud est quod sponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis dominicis charitate debetur obedientiæ ». Quod si naturali dilectioni sacra eloquia non contradicunt, certe ea dilectio nihil peccat continet, ac per hoc bona est moraliter. Si quidem sacra eloquia peccatis omnibus contradicunt.

Denique S. Joannes Damascenus in lib. iii. de fide, cap. 14. repetit, quod ex Basilio citavimus, virtutes aliquas ita esse naturæ nostræ familiares, ut naturales dici possint.

Accedant postremo etiam rationes. Prima ratio. Si opera facta sine fide et auxilio speciali semper essent peccata, id accideret,

vel, quia deest illis circumstantia finis, cum propter Deum non fiant, ut dicit Gregorius Ariminensis; vel, quia fiunt ab homine peccatore, ac per hoc inficiuntur et vitiantur a sua causa, tametsi ex genere suo sint bona, ut dicit Martinus Kemnitius, qui hoc etiam illustrat similitudine cordis. Ut enim substantia cordis in se bona est, et tamen cor dicitur pravum, Hierem. 17. quia malis operibus inquinatur; sic etiam contra opera, in se bona, inquinantur, et fiunt mala, quia exeunt a corde malo; vel, quia bona opera moralia non habeant proportionem cum naturæ nostræ viribus; vel denique, quia nimis difficilia sint, ob carnis rebellionem, dæmonisque tyrannidem.

At nihil horum dici potest. Nam quod attinet ad circumstantiam finis, possunt Ethnici etiam sine fide cognoscere, Deum esse, et curam nostri gerere, ut supra probatum est; proinde poterunt operari bona moralia, ut Deo auctori naturæ obediant. Quo modo M. Tullius in somnio Scipionis monet, administrandam esse Rempublicam diligenter quia summo Deo nihil est gratius, quam ut concilia, cœtusque hominum bene gubernentur. Deinde non est necesse, omnia referre in Deum explicite, sed satis est, si opus referatur in bonum finem proximum; tunc enim per se dirigetur in Deum, ut in ultimum finem. Sicut enim omne agens particulare, agit in virtute primi motoris, id est, Dei, sic etiam omnis bonus finis movet in virtute ultimi finis. Alioqui non solum infideles, sed etiam fideles et justissimi quique semper peccarent, cum inter operandum de Deo non cogitant, sed operantur, quia ratio dictat esse bonum et faciendum. Itaque nisi apponatur circumstantia finis mali, omne opus bonum morale per se refertur in Deum, etiamsi auctor operis id non cogitet, vel intendat.

Quod autem possit homo, suis viribus, non apponere circumstantiam finis mali, immo etiam dirigere opus in finem bonum, secundum rationem, manifestum est: nam si potest suis viribus operari malum, sed arduum et naturæ contrarium, cur non poterit operari bonum facile, congruumque naturæ? Si potest, exempli gratia, suis viribus, sine auxilio gratiæ, projicere omnia bona sua in mare, vel ipse se occidere, a quo natura abhorret; cur non poterit paucos nummos largiri indigenti, vel hominem a præcipitio revocare ob misericordiam, ad quam prope natura

ipsa compellit? Et si potest interroganti, falsum de industria respondere, cur non poterit respondere verum, si nihil inde lucretur, aut perdat?

Quod autem pertinet ad iniquationem causæ, non potest opus inquinari a malitia causæ, nisi quando ab ipsa malitia procedit. Nam si ex bono naturæ, non ex adjuncta malitia, quis operetur, opus erit simpliciter bonum. Atque hoc modo eleemosyna hominis impudici bona esse poterit, si fiat misericordiæ causa, non impudiciæ. Per accidens enim opus illud est hominis impudici, per se autem misericordis. Hoc autem esse verissimum, ex eo potest intelligi, quod si semper malitia causæ inquinaret effectum, oporteret opus non solum esse malum, sed in specie malitiam ipsam causæ participare. Itaque eleemosyna hominis avari esset mala in specie avaritiæ, et jejunium intemperantis esset malum, in specie intemperantiæ: quæ absurdissima sunt.

Nec similitudo cordis a Kemnitio adducta, aliquid probat. Nam substantia cordis inquinatur a malitia omnium suorum operum, quoniam est per se causa omnium illorum operum; contra autem opera cordis, non inquinantur omnia a malitia cordis. Quoniam non omnis effectus sunt per se illius malitiæ, sed in multis malitia non concurrat, nisi per accidens, bonum autem naturæ per se.

Neque tertium illud dici potest, non habere proportionem opus bonum morale cum viribus naturæ. Natura siquidem, quamvis per peccatum deterior facta sit, quam esset in statu innocentiae, non tamen infirmior est, quam fuisset in puris naturalibus. In puris autem naturalibus sine dubio proportionem habuisset cum bono morali, quod naturaliter cognoscitur et appetitur. Quorsum enim ratio illi data esset, si nihil omnino secundum rationem agere posset? Agere vero secundum rationem, est moraliter bene agere.

Denique nec dici potest, quod quarto loco adferebatur de nimia difficultate, ob tentationum vehementiam. Nam hoc loco non agimus nisi de rebus facilibus, et naturæ valde consentaneis, atque omni tentatione cessante; qualia sunt misereri pauperis in via occurrentis, providere filiis, adjuvare cognatos, et alia id genus.

Secunda ratio ducitur ab absurdis, nam si nullum opus bonum fieri posset ab infidelibus, sequeretur, melius illis esse, remoto præcepto, bona opera ex objecto non facere,

quam facere. Nam faciendo peccarent, non faciendo non peccarent. Itaque monendi essent infideles, ne facerent eleemosynas, ne pacificarent discordes, ne imperitos docerent, nisi quando ex præcepto aliquo tenerentur. Hæc autem sine dubio absurdissima sunt.

CAPUT X.

Solvuntur argumenta contra propositionem capitis superioris.

Adversariorum argumenta contra propositionem capitis superioris nec pauca sunt, nec levia.

Primum argumentum Kemnitii est. Scriptura docet, Deo displicere opera omnia impiorum, quamvis alioqui speciosissima, et a se instituta, ut cognosci potest ex illis verbis: *Incensum abominatio est mihi, et solemnitates vestras odit anima mea*, Isaia 1. Et rursus: *Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum*, Isaia LXVI. Item *Sacrificium impiorum abominatio*. Proverb. xv (1). Multo igitur magis Deo displicebunt alia opera, minus speciosa et humana, si ab impiis fiant. Respondeo: multum interest inter sacrificia et opera moralia, nam ut fiat bene opus morali non requiritur, ut fiat cum detestatione peccatorum, vel cum conscientia pura, quod tamen requiritur ad sacrificium rite offerendum. Cujus differentiæ ratio est, quia sacrificium habet pro fine placare et reconciliare Deum, vel ab illo beneficia aliqua impetrare, aut pro acceptis gratias agere: qui autem Deum sibi reconciliare nititur, et tamen peccata non detestatur, nec relinquit, is pugnat cum ipsa sua actione, nec tam Deum placat, quam ad iracundiam provocat. Sic etiam qui vult a Deo beneficia impetrare, vel ei pro acceptis gratias agere: et tamen cum eo inimicitiam gerit, eumque offendere, legem ipsius prævaricando, non cessat, is Deum non tam honorat, quam irridet. Quare nihil est mirum, si sacrificium ejus Deo non placeat, quippe quod non rite offertur. At opus morale, ut eleemosyna in pauperem, non habet pro fine, nisi egenti opem ferre, ad quem finem consequendum nihil pertinet puritas, vel impuritas vitæ, et conscientia ejus, qui eleemosynam facit.

Secundum argumentum sumunt Calvinus et alii, communiter ex illo Genes. vi. *Omne figmentum cordis humani tantum est malum* (2). Sic enim ipsi vertunt ex Hebræo. Respondeo: Scriptura hoc loco, ut in aliis plurimis, tribuit omnibus, quod convenit majori parti. Sententia igitur hujus loci est, majorem partem cogitationum, sive præcipuum studium hominum illius sæculi fuisse malum. Quo sensu in eodem loco scribitur: *Omnis caro corruerat viam suam*. Et tamen ibidem additur: *Noe vir justus fuit, atque perfectus*. Simile locutiones sunt Psal. i. *In lege Domini meditabitur die ac nocte*. Psalm. xxxiii: *Benedicam Dominum in omnitempore*. Luc. xviii. *Oportet semper orare, et nunquam deficere* I ad Thessalon. *Sine intermissione orate*. Joan. xii. *Mundus totus post eum abiit* (3). Quare sanctus Augustinus in lib. de unitate Ecclesiæ, cap. xii. scribit, in sacris litteris sæpe reprehendi omnes homines, cum solos malos Spiritus sanctus reprehendere velit, et contra.

Tertium argumentum sumunt ex Psalm. xiii. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (4). Quem locum allegat etiam Apostolus ad Roman. iii (5). Respondeo: libenter fatemur, omnes homines esse in statu peccati (quod Apostolus eo loco probare contendit, ut necessitatem gratiæ Christi manifestam faciat et inutiles ad opera faciendâ, quæ Deo placeant, nisi prius per Dei gratiam et redemptionem, quæ est in Christo Jesu, reconciliantur et justificentur. Illud autem: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, non significat, neminem esse qui faciat aliquod opus bonum morale, sed, neminem esse, qui juste vivat, servando totam legem moralem. Id enim præcedit, non est justus quisquam, non est intelligens, omnes declinaverunt, etc. Neque enim justus dici potest, aut simpliciter bonum facere, qui multis peccatis unum aliquod bonum opus admiscet.

Quartum argumentum sumit Calvinus ex illo versu Psalm. lxi. *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum* (6). Siquidem in Hebræo hic est verborum illorum sensus: *Mendaces filii hominum, et vani in stateris præ ipsa vanitate*, id est, si ponderentur homo, et vanitas in sta-

(1) Isaia 1, 13; Isaia LXVI, 3; Prov. XV, 9.—(2) Gen. VI, 5.—(3) Psal. I, 2; ibid. XXXIII, 2; Luc. XVIII, 1; I Thess. I, 2; Joan. XII, 19.—(4) Psalm. XIII, 2.—(5) Rom. III, 12.—(6) Psalm. LXI, 40.